

**Artium liberalium patronis,
promotoribus ... rector
academiæ Aboënsis Samue...**

Schultén, Samuel,

17 Taad Fol.



National Library
of Sweden

ARTIUM LIBERALIUM PATRONIS, PROMOTORIBUS · CULTORIBUSQUE,

Rector Academiae Aboënsis

SAMUEL SCHULTEN

S. P. D.



Sancte & religiose, majores nostri cum morem tenuerunt, ut mortuorum hominum Corpora, postquam piæ animæ ad Cœlestia loca emigrassent, humo mandarent, & communi tanquam matri asservanda traderent: idque non sine ornatu quodam & apparatu decore facerent: quo, & defunctorum memoriæ sua conservaretur dignitas, & superstitem dolori levamen quodpiam accederet. Eumque ipsum morem, sive ab lege aliqua naturæ profectum; Sive generali consuetudine introductum, tam late patuisse animadvertimus: ut inhumani etiam homines, defuncti tamen; societatis hominum immemores, jurium violatores, inimici, hostes, manifestorumque criminum rei, eadem humanitate fruerentur. Pauca admodum exempla superlunt tam immanium hominum, qui, cognationis inter homines a natura constitutæ, obliti, hoc sortis humanæ commercium, hoc mortalitatis solarium, proculcarunt: corporaque sui similium, mactata primum, deinde manducata, in succum & sanguinem converterunt: pulcherrimum homini in homine sepulchrum fore cavillati, aut eorum; qui cum ætate sua sapientes videri, & appellari voluerunt, tamen a canibus & feris, mortuorum cadavera devorari, quam terra condi maluerunt; nonnulli item reperti sunt tam feri, & tam immaniveti, ut jam morientes in propria viscera sævirent, eademque fato sancta, ad mare, ad bestias, vel alios profanos usus, impia testatione, damnarent. Quorum omnium, sive crudelitatem, sive feritatem, equidem abominamur nec sine dolore recordamur, omninoque miseret nos illius cæcitaris incredibilis, summæque stultitiæ, qua captæ immeritæque inauspicatæ mentes infelicis seculi, ad tam dira consilia pervenere. Nobis autem, more majorum, ut paulo ante dixi, certo certius constitutum est, eam legem, quæ humari jubet mortuos, & plenam virtutis, humanitatisq; & immortalis esse: nec ab alio nisi DEO humanis mentibus impressam, inscriptamque: eamq; pœnis quoque suis sancitam: ut cuncti intelligerent non modo mortuorum, sed multo magis vivorum & sui cujusq; pudoris, verecundiæq; communis causæ, eandem colendam esse, conservandamq;. Illa forsitan dubitatio, non ita plana, nec æque ad liquidum perducta videatur: sintne mortua etiam corpora, uti a genitis suis relinquuntur: sive ipsa opus suum quæ coagmentavit, dissolvente natura, sive vi majore id fiat omnino integra, intactaq; terræ gremio inferenda? idque ipsum ne aliter fiat lege ne aliqua naturæ aut religionis scito prohibeamur? ita, ut eadem aperire, secare, arcana eorum inspicere, nullo pacto liceat? Etenim pricis mortalibus impia magis, quam necessaria habita est illa medicorum diligentia, quæ, artificiosa sectione cadavera hominum scrutabatur. De ea Hippocrates ne verbum quidem, Democritus autem varia animalia discindens, eoq; nomine reprehensus ab Hippocrate: non se, divina opera perosum, sed felis bilisq; naturam inquirentem, ista facitare excubabat. Galenus forsitan primus, hominem arte secuit: quamquam & ipse quoq; simias & cercopithecus multos, homines vero admodum paucos aperuisse creditur. Herophilus certe primus anatomix laude excellit; quem propterea osorem hominum, Tertullianus; crudelem lanium, Augustinus, post alii aliis, jure an injuria? crudelibus convitiis lacerarunt. Deinde multos annos sepulta jacuit nobilissima illa disciplina, donec a Vesalio, Sylvio, Fallopio, Bartholino, aliisq; haud degeneribus Æsculapii filijs, in lucem reducta, crevit, adolevit, & nostra fere ætate ad virile robur pervenit. Bonifacium quidem, accepimus, Pontificem maximum, anathematis fulmen minari solitum iis, qui hominem mortuum ausi essent exenterare. Verum illud fulmen de pelvi, ut ajunt, erat: quod nequidquam nos moratur, nec terret, quin de ea re quæ sentimus, non audeamus dicere. Teneatur ergo brevibus verbis sententia nostra; nimirum: jure naturæ sancta esse corpora mortuorum: ut nec temere eadem, nec unquam nisi honoris causâ, attingere, violare autem nullo modo deceat. Quid ita? Anatomiam igitur damnamus, & inter malas artes referimus? Herophilumq; principem, cæterosq; sectatores & cultores artis utilissimæ, improbamus, & averlamur & sua fraudamus laude? Minime vero. Sed, homini, privato & civi, quod vitio vertitur cum suo arbitrio agit: idem publica autoritate geratur, ac honestum & gloriosum erit. Omnino ita se res habet, sic censemus: quod publice expedit honestum decorumve est, id vero privatim quoq; utile ac conveniens esse. Quid autem, per DEUM immortalem, magis deceat, magisq; profit ad vitam? quam hominem ex homine, jam mortuo, nihilq; lente, nec dolente; præeunte, secante, monstrante, magistro ejus artis perito, discere rationem sui corporis; quibus ex partibus constet; quemadmodum cohæreat; quibus rebus confirmetur; quibus debilitetur? ut sic prudenti observatione earum rerum, quæ noceant, quæq; prosint, valetudinem tueri queat. quod autem publice utile videretur, id ita honestum censei debet, ut ipsi etiam mortui, si adessent, aut loqui possent, non ægre ferrent, sed gauderent potius, corpora sua post mortem quoq; utilitatem aliquam præstare hominibus. Itaq; eam, de qua jam satis multa diximus scientiam Anatomicam, sectionemq; omnem humanorum corporum, quæ auspiciis publicis, arte quadam fit, non modo non turpem, sed pulchram, & præclaram, hominumque generi salutarem maxime judicamus. Quocirca magnopere laudamus, magniq; facimus diligentiam Amplissimi Experientissimiq; VIRI D:ni **PETRI Elfwing** / Medicinæ Doctoris & Professoris in hoc Lyceo, inclyti, quod pro ea facultate, quam multo labore, longoq; usu in hoc scientiæ genere, insignem sibi comparavit, amplissimæ huic nationi, florentiq; in ea juventuti Academicæ, omnibusq; adeo quibus notitia sui corporis, tuitio curatioq; valetudinis, cordi est, intervire cupiens, a sacra REGIA MAJESTATE, benigna comendatione summi, quod hic Aboæ celebratur, JUDICII REGII, per rescriptum gratia plenum, cadaver humanum, suis precibus, impetravit; quodq; heri extremo mactatum supplicio, adhuc recens, dissolvere, & juxta artis regulas, particularim explicare constituit. Quam ipsam laudandam gratamq; omnibus, ut speramus, operam, quoniam luce craftina, divina afflante aura, hora decima ante-meridiana, in Auditorio Superiori, auspiciari cogitat, idq; ante habita oratione rhythmica, brevi, & luculenta, ad subjectamq; materiam accommodata. Proinde bonarum artium Patronos, Evergetas atq; amicos, quotquot in urbe adfuerint qui talibus rebus delectantur. gradus & dignitatis cuiusque ratione servata, decenti obsequio, officioq; majorem in modum rogatos volo, prædicto tempore & loco frequentes convenire ne graventur, præsentia sua illustri & honorifica, tum Anatomico nostro animum, tum Anatomix decus & splendorem, addituri. P. P. d. xi Febr. An. MDCCXXIV.

ARTIUM ET MATHESIM

PROMOTIO

Academiae

SAMUELE SCHEUTEN

1703

Artis et religionis historiae notitia cum

notitia religionis historiae notitia cum

notitia religionis historiae notitia cum

